

Sed hac plenitudo gratie non fuit gratia unitatis: de hac enim nos accepimus, neque in nos redandavit: ergo fuit gratia habitualis.

V. Confirmatur. Jt. 1. v. 24. dicitur: vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratia, & veritate. Et subditur: De plenitudine ejus omnes accepimus. Verbum ergo caro factum, erat plenum illius gratie, quam nos ex ipso, tamquam ex fonte, hausimus. Cum ergo aqua hausa a fonte ejusdem rationis sit, ac aqua, quae est in fonte; gratia, quae a Christo in nobis est, ejusdem rationis erit cum gratia, quae est in Christo: & proinde gratia habitualis, sicut in nobis. Unde S. Augustinus, lib. 15. de Trinit. cap. 26. Dominus (inquit) ipse Jesus non solum Spiritum Sanctum dedit, ut Deus, sed etiam accepit ut homo; & propterea dicitur est plenus gratia. Quia unum cum Deo Spiritum Sanctum; non utique alio visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Unguentum autem gratiae, quo Ecclesia ungit baptizatos est gratia habitualis creatae; ergo hac unctus fuit Christus, homo.

S. II.

Solutio Objectionum.

VI. Obijciat primo. Christus, ratione unitatis erat Deus, & sanctus per essentiam, & non solum per participationem: sed gratia habitualis est solum participatio quaedam divinitatis in creatura rationali, juxta illud, 2. Petri 1. v. 4. Per quam maxima pretiosa nobis promissa donavit, ut per hac efficiamus divina consortes natura; ergo non debuit in Christo esse gratia habitualis. Conf. prob. Repugnat enim, quod aliquid perfectio habeatur per essentiam, & simul per participationem. Et ideo D. Thom. infra quest. 23. art. 4. negat in Christo, etiam ut homine, filiationem adoptivam, quae est filiatio participativa: quia fuit in eo filiatio naturalis Dei, quae est filiatio per essentiam, ut infra dicemus.

VII. Respondet conc. praemissis neg. conf. Quia, variatur appellatio a Christo absolute sumpto, & appellante supra personam, ad Christum sumptum cum addito, & restricto; seu appellante supra humanitatem, seu animam humanam. Ad prob. dist. ant. Quod habeatur secundum idem, conc. ant. Secundum diversa, nego ant. Christus ergo, ut docet S. Thom. 3. part. quest. 7. art. 1. ad 7. est verus Deus, secundum personam, & naturam divinam. Sed quia cum unitate persona remanet distinctio naturarum; ut contra Eusebium ostensum est; nec natura, aut anima humana per suam essentiam divina, aut vere sancta: Unde operatur, quod sua divina per participationem, quae est secundum gratiam. Et sic Christus, secundum diversa, est sanctus per essentiam, & sanctus per participationem.

Ad id vero, quod additur de filiatione naturali, & adoptiva inferius dicitur. Modo dicam, quod si in Christo poneretur simul filiatio naturalis, & adoptiva, esset filius per essentiam, & participationem secundum idem. Cum enim subiectum denominabile Filius, non sit natura, sed suppositum, seu persona; sequeretur Christum, secundum personam esse Filium naturalem Dei, & secundum eandem personam esse Filium adoptivum ejusdem. Quod esset incidere in heresim; vel Arianam, si poneremus, eandem Verbi personam esse Filium Dei solum per participationem vel Nestorianam, si poneremus, unam Christi personam esse Filium naturalem Dei, & aliam adoptivum.

VIII. Dices. Anima Christi sanctificatur, nedum sanctitate accidentali, & participata, sed personali etiam, & per essentiam, ut infra dicitur ergo Christus, secundum idem, nempe, secundum animam, erit sanctus per participationem, sanctus per essentiam.

IX. Respondet, neg. conf. Aliud enim est, quod anima Christi sit sancta per sanctitatem essentialem, seu sit sancta substantialiter: aliud est, quod sit sancta per essentiam, seu essentialiter. Primum enim verum est: quia nil aliud dicit, quam habere sanctitatem per essentiam, sibi substantialiter unitam in esse personali, Secundum autem falsum est: quia faceret sensum, quod anima Christi esset ipsa sanctitas, seu per suam essentiam esset sancta. Licet enim suscepit in se sanctitatem substantialem, & per essentiam; hanc tamen suscepit finito modo, & ut sibi modo quodam participato communicatam; sicut etiam modo participato facta est divina, licet substantialiter. Unde adest locus, ut sicut participat sanctitatem, & divinitatem substantialem, per unionem: ita etiam participat sanctitatem accidentalem, per gratiam.

X. Obijciat secundo. Qui est incapax filiationis adoptivae, est etiam incapax gratiae habitualis: sed Christus est incapax filiationis adoptivae, ergo &c. Maj. probatur. Nam facere filium adoptivum est effectus formalis gratiae habitualis. Cum enim gratia sit formalis communicatio naturae divinae, est quaedam regeneratio accidentalis, & imperfecta: sed in qualibet generatione fundatur filiatio: si fit substantialis, filiatio naturalis: si tantum accidentalis, filiatio adoptiva; ergo &c.

XI. Respondet, neg. absolute maj. Ad prob. dist. ant. Effectus formalis secundarius, conc. ant. Primarius, nego ant. Cum enim facere filium adoptivum sit effectus gratiae, non primarius, sed secundarius, & consequens; qui est incapax filiationis adoptivae, potest esse capax gratiae habitualis. Neque, ex quo gratia communicatio fit quaedam generatio, requiritur quidem, inter quas Jonas Aurelianus, & Episcopus Francordienfis Patres dicere, Felicem, & Elipandum una cum suo auctore Nestorio damnatos fuisse. Ceterum id directo

subjectum capax filiationis adoptivae quia ejus subiectum debet esse persona extranea adoptanti: persona autem Christi non est extranea Deo, sed est consubstantialis, & naturaliter conjuncta. Subiectum quoque non est realiter distinctum a termino. Nam relatio filiationis adoptivae, fundata in gratie infusione, non est ad Patrem tantum, sed ad totam Trinitatem, quae ad generationem per gratiam tota concurrat: persona autem Christi, quae debet esse subiectum talis relationis, non est realiter distincta a tota Trinitate, ut pater. Sed de hoc infra.

XII. Obijciat tertio. Quod habet eminenter aliquam perfectionem, nequit illam habere formaliter unde Sol, qui est eminenter calidus, nequit fieri calidus formaliter: sed anima Christi, ratione gratiae unitatis, habet eminenter quiddam praestari potest a gratia habituali; ergo &c. Sicut quia substantia divina praestat eminenter quiddam praestare substantia creata: illa posita in Christo, superflua sita.

XIII. Respondet, neg. min. Licet enim natura divina, ut in Deo, continet eminenter omnem effectum praestabilem a gratia habituali; ut tamen finito modo communicata anima Christi, non potest praestare totum id, quod praestaret a gratia habituali. Quia per gratiam unitatis unum quidem animam Christi in esse personali: sed non in ratione principii operandi, seu in esse naturae: ideoque ad hoc est necessaria habitualis. Neque est simile de substantia divina: nam haec, cum vivatur in esse personali, praestare totum, id, quod praestaret substantia creata: ideoque illa foret ad minus superflua.

XIV. Obijciat quarto. Gratia unitatis reddit animam Christi Deo infinite gratam; ergo non potest fieri magis gratia; ergo cum facere gratum Deo, sit effectus primarius gratiae habitualis, ista in Christo nihil facit.

XV. Respondet, dist. conf. Magis in eodem genere, conc. conf. In diverso genere, neg. conf. Gratia unitatis reddit animam Christi infinite gratam Deo, gratitudine substantiali personali: gratia autem habitualis facit illam Deo gratam in alio genere, nempe, principii operativi. Sicut est anima Christi, ratione unitatis, fuerit infinite perfecta substantialiter; adhuc tamen fuerunt virtutes, & aliae dotes, quibus fuit orata.

D U B I U M II.

An Gratia Habitualis faciat Christum Filium Dei Adoptivum?

S. II.

Quia circa hoc Erraverunt.

I. Commune est Ecclesiae Catholicae dogma, Christum Dominum, etiam ut hominem; esse Filium Dei naturalem. Nihilominus, circa annum 783. Elipandus Archiepiscopus Tolosanus, cum a Felice Episcopo Urgelitano per literas quaesisset, quid de humanitate Christi sentiret: utrum, secundum quod homo est, proprius, an adoptivus Filius Dei Christus dicens, & credendus, an adoptivus, & sui dicti morata adduxit, quae Elipandum in sui sententiam pertraxerunt. Vix doctrina haec vulgari coepit, cum tamquam nova, imo Ecclesiae, & Patrum fidei contraria, nec non Nestoriani errori proxima, a multis male habita est. Delata primum fuit ad Hadrianum, tunc Rom. Pontificem, qui amplissimas de re ad Episcopos Hispaniae literas dedit. Delata etiam fuit ad Carolum Magnum, qui causam in Francordienfi Concilio iudicari curavit. Felix errorum suum non semel ejuravit: sed Elipandus ad mortem usque in eo constant perstitit.

II. Licet certum sit apud omnes, Felicem, & Elipandum asseruisse, Christum esse Filium adoptivum Paris; non adeo tamen certus est sensus, in quo id asseruerint: quibusdam voluntibus, eos id asseruisse absque addito, seu restrictione; ut eum, ita Christum Filium adoptivum Dei asseruerint; ut eum Filium naturalem negarent: qui sensus vel Arianus est, vel Nestorianus. Aliis vero communis sententibus, eos asseruisse Christum Filium Dei adoptivum, ut hominem; ita ut quas in Christo filiationis agnovissent, unam naturalem, quatenus Deus erat, alteram adoptivam, quatenus homo. Ilius sententia. Felix enim, & Elipandus nunquam accusati fuerunt, vel quod negarent. Verbum esse Filium naturalem Dei: vel quod Christi humanitas unita fuerit unione substantiali, & personali Verbo. Nec enim Beatus Asturicensis Presbyter, nec Hetherius Uxomensis Episcopus, primi hujus erroris impugatores, id unquam Felicem, & Elipandum reprobarunt: imo neque Hadrianus Papa, nec Francordienfis Synodus id eis crimine verterunt. Nec etiam credibile est, eos ausos fuisse negare unionem substantialem humanitatis cum Verbo: Cum enim suam doctrinam, tamquam sanam, & Catholicam tenerent; unde Elipandus a Carolo Magno petit, ut Beatum, ac Hetherium, tamquam hereticos damnaret: nunquam certe tanta confidentia locutus fuisset, si cum Nestorio, quem noverat esse ab Universalis Ecclesiae, tamquam haereticum damnatum, unionem tantum moralem, & per affectum Verbum inter, ac humanitatem agnovisset. Nec enim sibi persuadere potuisset, Gallios, & Germanos Antistes approbatores doctrinam, quam in Ephesino Concilio seclat esse proscriptam, tamquam haereticam.

Verum quidem est, quod cum doctrina de Filiatione adoptiva Christi, etiam ut hominis, videretur favore Nestoriani erroris, eumque implicite arguere, & ad eum accedere, pertuerunt quidam, inter quas Jonas Aurelianus, & Episcopus Francordienfis Patres dicere, Felicem, & Elipandum una cum suo auctore Nestorio damnatos fuisse. Ceterum id directo

Felicem non sensisse, constat ex eodem Jona Aurelianus, Lib. 1. de Cultu Imaginum, de Felice, sic loquente: Quoniam juxta suo seclatissimo errori Elipando Tolosanus Urbis Episcopus, Christum secundum humanitatem non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum. Constat etiam ex Hadriano 1. in Epist. ad Episcopos Hispaniae, ubi ait: Inter cetera rejicienda (sententia) de adoptione Jesu Christi Filii Dei, secundum carnem. Constat demum ex illius professione, quam Elipandus misit ad Carolum Magnum: ubi cum de adoptione Christi loquitur, eam non absolute profert, sed cum additamento. Ait enim: Homo insinuat in una eadem Dei, & hominis, personam adglomerans. Filius adoptivus humanitatis, & non adoptivus divinitate, mundum redemptus. Quibus Elipandus fatetur in Christo unionem personalem cum Verbo, & filiationem adoptivam solum secundum humanitatem.

III. Ex Catholicis Doctoribus Scotus, in 3. dist. 10. quest. 1. putat absolute dici posse, Christum, ut hominem, filium adoptivum: atquidem tamen esse hunc loquendi modum, propter hereticos, qui eo abutuntur. Cum autem eius discipulis opponitur. Secutum in hac Felices, & Elipandus errorem propagare, respondit id negando. Quia Felix, & Elipandus in sensu Nestorii ad asserendum: contententes, inter humanitatem, & Verbum solum unionem moralem intercedere, quae adoptionem constituit: & negantes unionem personalem, qua filiatio naturalis confurgit. Sed in hoc decepti Scotus, jam ostendimus.

Durandus vero, & post eum plures alii docent, non posse quidem absolute dici, Christum esse Filium adoptivum Dei; posse tamen dici cum addito, nempe, secundum humanitatem, vel prout est homo. Cum vero urgetur textibus Patrum, qui Felicem, & Elipandum damnantur: respondet Durandus: in hoc uno positum fuisse errorem, quod Christum absolute, & absque addito, prout est homo, Filium Dei adoptivum dicerent.

S. Thomas autem, 3. p. q. 23. a. 4. ubi fere tota Theologorum Schola subscribit, docet, Christum nec absolute, nec cum addito dici posse Filium Dei adoptivum.

S. II.

Resolutio Dubii.

IV. Dico, Christus, nec etiam secundum humanitatem, dicens, esse Filius Dei adoptivus. Id probatur omnino, quae ex Scriptura, & Patribus Hadrianus Pontifex, & Concilii Francordienfis Patres, contra Felicem, & Elipandum protulerunt. Primo, ex Scriptura: Joann. 30. vers. 17. Ubi Christus, Ascenda (inquit) ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Non dicit, ait Hadrianus; Patrem nostrum, sed Patrem meum; natura videlicet, & Patrem vestrum, beneficio, & gratia. In qua notandum est, quod Christus cum precepit, ut oraretis, ait, Matth. 6. vers. 9. Sic autem orabitis: Pater noster, qui es in Caelis: atqui si Christus etiam prout est homo, esset Filius Dei adoptivus, dixisset: Ascende ad Patrem nostrum; nec tam accurate distingueret inter Patrem suum, & Patrem nostrum: tunc enim de se ipso, non ut Verbum, sed ut homo ergo, &c. super quod audire praestat S. Augustinus, Tract. 21. in Joann. Cui dicitur Pater noster: Pater Christi, qui ergo Patri Christi dicit Pater noster, quid dicit Christus, nisi frater noster? non tamen sicut Christi Pater, ita & Pater noster. Nunquam enim Christi nos conjunctis, ut nullam distinctionem faceret inter nos, & Jo. Ille enim Filius equalis Patri: nos adoptati per unicum.

V. Item, Joann. capitul. 3. versicul. 34. & 35. de Dei Filio Baptista dicit: Non enim ad mensuram dicitur Spiritum. Pater vocat Christum absolutum Filium, & cui omnia dedit: Pater in manu. Filius autem absolute, Filius, cui Deus Pater omnia dedit, non est Filius adoptivus, sed naturalis. Eum autem loqui de Filio, prout est homo, demonstratur frequentia: Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Qui tendit in Filium, habet vitam aeternam. Ita arguit S. Augustinus, Tract. 14. in Joann. Pater diligit Filium, non quomodo Dominus servum: quomodo unicam, non quomodo adoptivum.

VI. Haec idem demonstrat Paulus, Roman. 8. v. 32. dicens: Qui etiam propter Filium suum non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Filium autem proprium nemo dicit, esse adoptivum: eum vero non tradidit, nisi quatenus hominem. Ita Hadrianus: Quia (inquit) non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo erat: illum enim, qui traditus est, hominem, ipsum Apostolus proprium Dei Filium professatur. Et Sanct. Hilarius, l. 6. de Trinitate super dicta Apostoli verba, ait: Nunquid etiam non adoptivus in eo erit nuncupatus, in quo proprius est nomen?

VII. Accedit ad haec: quod vocatur in Scripturis semper absolute, & cum distinctione vocatus Filius Dei. Matth. 17. vers. 5. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit. Lucae 3. vers. 22. Vox de Caelo facta est: tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Et quoties Christus se Filium Dei nuncupat, semper absolute, & sine addito loquitur. Unde recte S. Augustinus, l. contra Secundinum Manichaeum, cap. 5. Zege (inquit) Scripturas, nunquam invenio de Christo dictum, quod adoptivus sit Filius. Et Concilium Francordienfis, in Epist. ad Episcopos Hispaniae, addit: Tu vero quisquis es, qui Christum praedicat adoptivum; unde ille tibi sensus venisset, voluisset scire. Barbaria Nestorianorum, Traditores hoc nomen excarnavit, Ductores filii nostri nos accervunt.

VIII. Adest etiam ratio Theologica, quam tradit S. Th. 3. p. q. 23. artic. 4. Filiatio proprie convenit hypostasi, vel personae, non autem naturae; unde Filiatio est propriae personae: sed in Christo non est alia persona, vel hypostasis, quam increata: quae cum sit per se, & per naturam Filius, non est capax filiationis adoptivae, quae solum est participatio quaedam filiationis naturalis: quod enim per se dicitur, non potest participative dici, secundum idem; ergo &c.

IX. Secundo probatur: Vel humanitas Christi adoptata fuisse ante unionem hypostaticam; vel post unionem: sed neutrum dici potest; ergo &c. Min. prob. Non potest dici primum: Siquidem, ut fides docet adversus Nestorium, & Arios, humanitas Christi, nec brevissimo quidem instanti, fuit sine hypostatica unione cum Verbo. Non secundum. Quia humanitas Christi post unionem cum Verbo jus habet ad hereditatem: per eam enim fit insinuat: qui autem jam habet jus ad hereditatem, adoptari non potest, quia adoptio gratis tribuitur, non ex debito; ergo &c.

X. Confirmatur. Humanitas post unionem non fuit extranea, sed propria Verbi: sed qui extraneus non est; sed proprius, adoptari non potest; unde propter hanc rationem Filius non potest adoptari a Patre, & liber Sacrosyllabus de adoptione Moysis in filium filiae Pharaonis: Hoc ideo posuimus, ut patenter doceret intelligi, eum dici adoptivum, qui nondum prius fuerat filius adoptivus. Unde in Dei Filium non eadem nomine adoptivus, quia semper verus Filius, semper Dominus: ac per hoc, & post assumptum hominem, veri Filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desit esse Filius.

XI. Tertio probatur. Ille, qui adoptatur in filium, non secundum naturam, sed solo affectu conjugitur adoptanti: id enim ipsa vox Adoptio significare videtur, optanti enim est, & nondum habentis. Quare sibi adoptare filium, perinde est, ac desiderare habere pro filio eum, qui alioquin secundum naturam sibi conjunctus non est: atqui humanitas Christi, seu Christus ut homo, non est conjunctus Deo solo affectu, ut contra Nestorium clamet Ecclesia, verum reipsa, & substantialiter, ergo non potest esse Filius adoptivus. Haec ratio desumpta est ex prelaturo libro Sacrosyllabus, in quo sic legitur: Omnis adoptio ex affectu patris. Utinam adhiberem eleganter istam: ut si dicitur, utinam si mihi in filium adoptivum, & e contra: utinam mater a se in filium adoptari. Ex affectu quidem dilectionis patris subrepti patris, ut in utraque conveniant. Ad testantur affectus. Cum igitur Christus nunquam fuerit sine filiatione naturali: cum nunquam extraneus Deo fuerit: cum humana natura non solo affectu conjuncta fuerit Verbo: sequitur, Christum etiam cum addito, prout est homo, nec esse, nec dicendum esse Filium Dei adoptivum.

S. III.

Felicis, & Elipandi Momenta Solutio.

XII. Obijciant primo varios Scripturae textus. Nimirum, illud Joann. 4. v. 28. ubi Christus dicit: Pater major me est. Quibus se consuetur inferiorem Patre: non filiatione naturali, ergo adoptiva.

Item, Rom. 8. vers. 17. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: sed coheredes non sumus Christi, ut Filius est naturalis; ergo ut Filius adoptivus.

Rursus: ibidem, v. 29. de Christo dicitur: Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, id est, in omnibus filiis Dei predestinatis; ergo Christus est primus in omnibus filiis predestinatis per gratiam, & consequenter adoptivus.

XIII. Respondet ad singulos. Ad primum: Patres Francordienfes Elipando illum obijcienti responderunt: verba illa non fuisse a Christo dicta, propter adoptionem; sed propter formam servi, quam, ut homo, acceperat. Nam, ut ajunt: Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat: Ergo, & Pater unum sumus; & secundum hominem: Pater major me est.

Sed dices. Christus, secundum quod homo, est frater: sed dignitas est esse Filium adoptivum, quam servum; ergo multo magis, ut homo, est Filius adoptivus.

Respondet S. Th. 3. p. q. 23. a. 4. ad 3. Quod esse credituram, & etiam servitum, vel subiectum ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam; quod non potest dici de filiatione: & ideo non est similis ratio.

XIV. Ad secundum respondeo: ex quo dicatur filii Dei, & coheredes Christi, non sequi, quod sicut nos filiationem, & hereditatem adoptionem habemus, ita & ipse. Imo cum adoptione, & hereditatem habeamus per ipsum; ut isti; sic cum beneficio, & voluntate Christi filii naturalis Dei adoptantur in filios, sumus fratres Christi, nos quidem adoptione, sicut & ipse frater noster sit voluntate, sed ille non evadit proinde Filius adoptione, sed semper manet Filius naturae.

XV. Ad tertium dico, quod sicut in humanis, si pater, de voluntate, & consensu filii naturalis, alius adoptaret in filios isti quidem essent fratres illius, & ille primogenitus inter illos, non tamen esset filius adoptivus, ut isti; sic cum beneficio, & voluntate Christi filii naturalis Dei adoptantur in filios, sumus fratres Christi, nos quidem adoptione, sicut & ipse frater noster sit voluntate, sed ille non evadit proinde Filius adoptione, sed semper manet Filius naturae.

XVI. Sed instabis. Qui est Filius Dei predestinatione, non est Filius Dei natura, sed adoptione, & gratia: sed Christus est Filius Dei predestinatione: unde Rom. 1. v. 4. de eo dicit Paulus: Qui predestinatus est Filius Dei; ergo Christus, ut homo, est Filius Dei adoptio.

XVII. Respondeo, neg. absolute maj. Plus enim requiritur ad adoptionem, quam ad predestinationem: ad illam enim requiritur persona extranea, & quæ per naturam filii non fit; ad illam autem sufficit, quod aliquis eligatur ad gloriam, five persona fit extranea, five non. Sic Christus dicitur ab Apollolo predestinatus Filius Dei: Unde S. Th. 3. p. 9. q. 24. a. 1. ad 2. ait: *Relinquitur ergo quod predestinatio attribuitur personæ Christi; non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Unde cum dixisset Apollolos: Qui factus est ex semine David, secundum carnem; subjungit: Qui predestinatus est Filius Dei in virtute. Ut daret intelligere, quod secundum hoc; quod est factus ex semine David, secundum carnem, est predestinatus Filius Dei in virtute. Quamvis enim sit naturalis illi persona, secundum se considerata, quod sit Filius Dei in virtute; non est tamen ei naturalis, secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis. Hæc S. Thom. qui, artic. 2. sequente hæc propositionem, ut veram concedit: Christus, secundum quod homo, predestinatus est esse Filius Dei. Quia (inquit) humana natura non semper fuit Verbo unita; & etiam hoc per gratiam est collatum, ut filio Dei in persona uniretur. Et ideo solus ratione humana nature predestinatio competit Christo.*

XVIII. Obiciebant secundo auctoritates Patrum. Et primo Irenæi, qui, l. 3. Adv. hæres. c. 21. sic loquitur: *Propter hoc enim Verbum Dei homo, & quod Filius Dei est, Filius hominis factus est; immixtus Verbo Dei, in adoptionem percipiens, sit Filius Dei.*

Deinde Marii Victorini, qui, l. 1. contra Candidum Ariam hæc habet: *Non adoptione filii, ille natura etiam, & quam adoptione filius, & Christus, sed secundum carnem.*

Tertio, Hilarius, l. 2. de Trinitate, de Christi nativitate sic loquitur: *Ita perhæsit dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.*

Quarto, Ideophonus, & Julianus Archiepiscopi Toletani ante Elipandum, sic in Milla de Coena Domini leguntur: *Qui per adoptionem humanam percipiens, dum suo ipsius corpori &c. Et in Milla de Ascensione: Hæc salvator noster post adoptionem carnis, sedem regni dicitur; ergo secundum præfatos Patres, Christus ut homo, dici potest filius adoptivus, seu adoptivus.*

XIX. Respondeo ad primum; Irenæum ea verba. *Ut adoptionem percipiens sit Filius Dei, non refert ad Christum, sed ad quemcumque hominem; qui dum per ipsum gratiam justificationis consequitur, sit filius Dei adoptivus. Unde Irenæus scilicet est, Dei filium factum fuisse hominem; ut homo, per ejus merita justificatus, fiat filius Dei per adoptionem.*

Ad secundum dico, Victorinum ly *Quandam adoptione*, ostendere, se loqui de adoptione improprie tali; quatenus nullis præcedentibus meritis humanitas electa fuit; ut ad Dei naturalem filiationem, per unionem hypostaticam, eveheretur. Vide S. Th. 3. p. 9. q. 22. a. 4. ad 2.

Ad tertium itidem dico, Hilarium usurpasse adoptionem improprie, nimirum, pro assumptione; & elevatione: ut sit sensus, quod dignitas non amittitur, dum carnis humilitas assumitur, & elevatur. Ita S. Th. hæc 3. p. 9. q. 23. art. 4. ad 1. Aliqui tamen censent, verbum illud *Adoptatur* in Hilario mendose irrepressibile, & loco ejus ponendum esse *Adoptatur*.

XX. Ad quartum dico, eam orandi formulam non fuisse ab Ecclesia probatam. Cum enim Elipandus ea se tueretur, respondit Concilium Francofordiense, in Epist. Synodica: *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ideophoni verbis; qui tales vobis composuit preces in Missarum solemnibus, quales Universæ & Sanctæ Dei non habet Ecclesia. Et si Ideophonus confiteri in orationibus suis Christum adoptionem percipiens; noster vero Gregorius Pontifex Romanus Sedis, clarissimus tunc Ordo Doctor, in suis orationibus semper cum Unigenitum nominare non dubitavit.*

XXI. Obicies tertio. Ille debet dici filius adoptivus qui habet in se formam adoptionis, nempe gratiam habitualem; sed hæc *Dub. præcedente*, posuimus in Christo, ut homine; ergo &c. maj. prob. Quia forma necessario producit suum effectum.

Respondeo ex dictis, *Dub. præced. num. 11. maj. veram esse, si subjectum sit capax adoptionis; nimirum, si sit persona extranea adoptans, eique uniat; solum per affectum; non vero si persona sit unita substantialiter, qualiter humanitas Christi uniat in persona. Forma vero producit necessario effectum suum primum; secundarium vero (qualis est adoptio respectu gratiæ habitualis) solum producit; quando subjectum est capax. Reclanatur dicta, num. citato.*

XXII. Sed dices. Eatenus Christus est Filius Dei naturalis, & incapax filiationis adoptivæ, quia est genitus a Deo Patre, at non est genitus a Deo Patre, quatenus homo; ergo, ut sic, non est Filius Dei naturalis sed adoptivus.

Respondeo, quod licet Christus, ut homo, non sit formaliter genitus a Deo Patre quia tamen, ut homo, est substantialiter unio Divino Verbo, & consequenter etiam natura Dei Patris; ideo dici potest etiam ut homo, filius naturalis Dei. Et vel maxime, quia ly *De homo* appellat non supra naturam humanam sed supra personam.

XXIII. Quæres: Quia censura nota damnanda sit sententia Felicii & Elipandii afferentium, Christum esse Filium Dei adoptivum?

Respondeo, quod si, ut aliqui volunt, id affererent intendentes excludere a Christo filiationem naturalem, eorum sen-

tentia erat hæretica; quia excluderent unionem substantialem humanæ naturæ cum Verbo, & illum facerent purum hominem, unicum Deo solum per affectum qui erat Nestorii error damnatus in Concilio Ephesino.

Si vero, ut multi volunt, non excluderent filiationem Dei naturalem a Christo; absolute tamen, & sine addito dicentur Christum Filium Dei adoptivum; esto expressè cum Nestorio non sentirent, ad ejus tamen hæresim accedere videbantur; quia cum nomen *Christus*, supponat per personam, videbantur asserere in Christo personam extraneam, & ideo adoptivam.

XXIV. Difficultas est de hæc propositione prolata cum addito, nimirum, *Christus, quatenus homo, est Filius Dei adoptivus.* Eam hæreticam esse, & oppositam esse de fide, censet Vasquez cum aliis. Verum cum non desierint Auctores Catholici, qui eam sano sensu intellexerunt, etiam post Concilium Francofordiense, admitterent, ut Richardus, Durandus, a quibus dissentire non videtur Scotus: ideo ab eo gravi censura abstinendum censentur.

Dicerem tamen, eam esse temerariam, & etiam erroneam, Temerariam quidem. Quia, ut diximus, ex Augustino, & Conc. Francofordiensi nec Scriptura, nec Patres eam unquam docuerunt. Erroneam vero. Quia unanimi fere Theologorum judicio contraria sensui Scripturæ, & Patrum: & quia ex ea videtur sequi pluralitas personarum in Christo. Et quamvis contra Nestorium præsupponat unitatem personæ in Christo; damnata tamen fuit ab Hadriano, & Concilio Francofordiensi. Imo & a tota Ecclesia in Felice, & Elipandio: non obstante, quod, ut supra vidimus, eam solum cum addito, nempe, *Quatenus homo*, defenderent.

D U B I U M III.

An Anima Christi Formaliter Sanctificetur per Unionem Substantialem cum Verbo.

S. I.

Aligua Prænotantur.

I. NOME sanctificationis formalis non intelligimus eam, quæ provenit a forma, vel inherente, vel informante; sed formalem communicationem omnium; quæ ad sanctitatem pertinet, præfata tamen informatione, vel inherente. Sicut enim per substantiam Verbi anima Christi est formaliter sanctificata: quia sequitur, quod substantia Verbi est uniat per informationem; ita quatenus, an per illam reddatur formaliter sancta, absque informatione. Dicimus autem *Formaliter*, ad excludendam sanctificationem solum virtualiter, & casualiter. Unde quærimus: An unio personalis cum Verbo sanctificet gratiam Christi, non solum, quia causat, seu inserit in illam gratiam sanctificantem; sed etiam formaliter, id est, per se ipsam; ut, etiam si nulla gratia habitualis in anima Christi sequeretur, adhuc per illam solam esset sancta.

II. Porro: effectus a sanctitate formaliter procedentes plures sunt. Primo, ex parte termini, a quo procedit: & hic est puritas, & mundities ab omni labe peccati. Unde sanctus in Scripturis idem est, ac mundus, & impollutus. Secundo, ex parte termini, ad quem acceditur per sanctitatem: & hic est unio, amicitialis cup. Deo: ad quam requiritur primo, aliquo modo communicatio cum Deo in natura divina. Nam inter res diversæ naturæ, & speciei, ut inter brutum, & hominem, non datur unio amicitialis. Secundo, commercium habere cum Deo, per operationes proprias divine nature: unde forma sanctificans debet esse aliquo modo radix habituum sanctificantium potentias in ordine ad operationes ordinis divini. Quia autem natura divina nequit participari nisi a Deo; cuius solus proprium est deificare, sicut ignis proprium est ignire: ideo ille, qui per communicationem divine nature deificatur, evadit Filius Dei. Et, si illi divina natura communicatur substantialiter, & perfecte, conjugitur filiatione naturali: si vero solum imperfecte, & accidentaliter, conjugitur filiatione adoptiva.

III. His positis, quedam præfata ad duo reducitur. Primum: An per unionem personalem reddatur anima Christi formaliter sancta; & non mere casualiter, seu virtualiter. Secundum: An talis sanctas formalis tribuatur ab unione ipsa; seu a persona divina unita; an a natura divina media personalitate anime Christi unita.

IV. Quoad primum: non desinet, qui absolute negant, animam Christi formaliter sanctificatam fuisse unionem personalem; unde dicebant: ut esset formaliter sancta, necessariam fuisse gratiam habitualem. Alii admitterunt quidem, animam Christi per unionem personalem sanctificari; non tamen formaliter, sed solum radicaliter, seu casualiter: quatenus est causa, vel radix, unde producit in animam Christi sanctitas formalis, nempe, gratia habitualis. Ita Alvarez, Cabrera, & alii.

Quoad secundum vero: quidam dicunt, divinitatem per se ipsam, quatenus media personalitate uniat anime Christi, eam sanctificare; extrinsece tamen, & moraliter, non per intrinsece, & physice: eo modo, quo actiones Christi dignificantur a persona Verbi per respectum moralem, non per physicam unionem. Alii volunt, personam Verbi esse formam sanctificantem, per modum moraliter dignificantis; formam vero physice sanctificantem esse modum unionis (quem distinctum ponunt inter animam, & Verbum. Alii communis dicunt, Chi-

Christi animam formaliter intrinsece sanctificari, non unione, sed ipsa persona Verbi: quibuslibet asserentibus, etiam delectam, ut mediate unitam anime, illam sanctificare; aliis id solum personalitati concedentibus. Nos mentem nostram sequentibus exponemus.

S. II.

Præ Affertio.

V. Dico primo. Anima Christi per unionem hypostaticam cum Verbo fuit sanctificata, nempe radicaliter, & casualiter, sed etiam formaliter, & intrinsece, non tantum extrinsece, & moraliter. Est communior, & rutilior. Videtur enim colligi ex illis, Pf. 44. v. 8. *Unxit te Deus, Deus oleo lætitiæ.* Unde Sanctus Cyrillus, l. 4. in Joann. c. 29. ait: *Christum unctum esse, non sicut alios Sanctos, & Reges, sed quia Verbum caro factum est; & Synodus Francofordiensi, in Epist. ad Hispaniæ Episcopos; Christus (inquit) natura unitus; nos per gratiam; quia in illo facta plene divinitas. Quis spectant verba Ista 61. vers. 1. & Lucæ 4. vers. 18. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me &c. Quæ de unione divinitus exponunt Gregorius Nazianz. Orat. 36. quæ est 4. de Theologia, dicens: Christus, verò dicitur propter divinitatem; eam enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis Christi, sanctificati, sed virtute unguentis personæ. Et Athanasius, Oratione contra Arianos, introducit Verbum ita loquens: *Ego sum Christus, sicut unctus; Christi autem hoc unctus est homo, qui unio assumptus est.* Et August. l. de Præfatione. 55. cap. 14. dicit: unctam fuisse invisibilem Deo humanam naturam, quando divinitus est iuncta Personæ. Quæ omnia confirmavit Lucas 1. vers. 35. dum ait: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Ubi Christi sanctitatem, non ad aliquam specialem gratiam Spiritus Sancti ei supervenientem, sed ad ipsam conceptionem, & nativitatem filii Dei reducit.**

VI. Probatur deinde ratione, primo: Et. Ut aliquid sit forma perfecte sanctificans, sufficit esse supra notatis, quod tribuit anime immunitatem ab omni peccato, saltem mortali; eique confert, conjunctionem amicitialis cum Deo; & exigit, aut fundit commercium in operationibus propriis divine nature: sed hoc totum perfectissime præstat unio hypostatica anime Christi; ergo &c. Min. prob. Quia, ex dictis, in *Tract. de Unio.* unio hypostatica est omnino incomparabilis cum peccato: & si supponeretur, in humanitate peccatum, excluderetur per unionem cum Verbo. Rursus: unio hypostatica dei summam conjunctionem cum Deo, possibilem creaturæ: quia dat substantiam in eadem persona, & physicam, non tantum moralem. Quæ unio, & quo excludit operationes avertentes, & separantes a Deo, sit ut inferat, & per modum principii quod exigit operationes proprias nature divine: quibus creatura illa, si conjugitur, habet commercium amicitiale cum Deo potiori iure, quam illas exigit gratia habitualis, per modum principii Quæ ergo &c.

Hinc S. Thom. 3. part. quæst. 6. art. 6. in corp. ait: *Gratia habitualis pertinet ad spirituales sanctitates illius hominis (Christi) est effectus quidam consequens unionem, secundum illud, Joann. 1. Vidimus gloriam quæ quasi Unigeniti a Patre, plenam gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quod ex hoc unio, quod ille homo est Unigenitus a Patre (quod habet per seipsum) habet plenitudinem gratiæ, & veritatis. Et ibidem, ad 1. Unio (inquit) unctura ad Deum est per operationem, in quantum scilicet, eum cognoscimus; & amamus; & ideo ratio unctura est per gratiam habitualement, in quantum operatio per seipsum procedit ab habitu: Sed unio natura humana ad Verbum Dei est secundum esse personale, quod non dependit ab aliquo habitu, sed immittitur ab ipsa natura.*

VII. Probatur secundo. Ens intellectuale substantiale, ex vi huius est sanctum, & gratum Deo, vi cuius præfate habet jus ad vitam æternam: non enim alia ratione quis dicitur sanctus, vi gratiæ habitualis; nisi quia, vi illius, habet jus ad vitam æternam: sed anima Christi, quæ est ens substantiale intellectuale, habet jus ad vitam æternam, ex vi unionis præfate sumptæ, quia ex ea habet Christus, ut sic Filius Dei naturalis, ratione cuius habetur jus ad hereditatem, secundum illud Pauli, Rom. 8. vers. 17. *Si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, ergo &c.*

S. III.

Objectiones contra Præfata Assertionem.

VIII. Obicies primo. Omnia prædicta conferri quidem anime Christi ab unione cum Verbo; sed solum extrinsece, per communicationem idiomatum; & radicaliter; in quantum ex unione, tanquam ex radice, sequitur intrinseca, & formalis sanctitas anime per gratiam habitualement: non tamen formaliter. Sicut per unionem hypostaticam communicatur anime Christi visio increata Dei, alique attribuitur quod dici possit, animam Christi esse per illam formaliter beatam, omnipotentem &c. ergo similiter, licet communicetur anime Christi sanctitas increata, non dicitur per illam formaliter sancta.

IX. Respondeo; neg. ant. Si enim ex dictis, anima Christi per unionem cum Verbo redditur formaliter munda, formaliter conjugata Deo, formaliter obiectum congruum divinitus dilectionis, & potens habere per operationes divinas commercium cum Deo; quod illi debet, ut sic formaliter sancta

per illam, non quidem sanctitate accidenti, & participata sed sanctitate substantiali; & personali ipsi communicata; Neque tamen anima Christi per visionem incretam reddi formaliter beata, & videns Deum. Est enim discrimen inter denominationem beati, & denominationem sancti: quod illa est accidentalit, proveniens ab operatione, imo & vitalit proveniens ab operatione vitali; unde, ut diximus, *Tract. præfate* repugnat convenire formaliter anime Christi per aliquid incretam. Ac denominatio sancti, in primis non provenit ab actione vitali: deinde, neque est per se denominatio solum accidentalit, sed potius substantialit (nisi per accidens ex imperfectione subjecti fiat accidentalit, ut in nobis) seu spectans ad lineam substantiæ. Unde nihil vetat, quin immediate conferatur ab aliquo increto, substantialit periclitante humanam naturam: sicut nihil vetat, quin formaliter subsistat subsistentia increta; quia manus spectans ad lineam substantiæ, cæteris paribus, supplebitur est a divino Verbo.

X. Sed inflabis. Eito Verbum possit supplere minus formæ creatæ; parè terminatis naturam creatam in ratione subsistentis; non tamen potest supplere minus formæ constitutivæ naturam: sed manus sanctitatis simpliciter spectat ad lineam substantiæ, tanquam eus constitutum, non tanquam terminativum; ergo &c. Min. prob. Tum quia in Deo sanctitas substantialit competit ei ex vi constitutivæ sui nature; non ex vi termini factentis ipsum subsistere. Tum quia: filiatione Dei, quæ ad sanctitatem sequitur, provenit ex communicatione divine nature; non ex communicatione subsistentiæ divine.

XI. Respondeo, majorem veram esse in Deo, quem facit per essentiam sanctum; in eo enim sanctitas est prædicatum ingrediens constitutivam naturam: non tamen veram esse de creaturæ, cui sanctitas Dei communicatione datur; hæc etiam sufficienter habet per intinam conjunctionem cum Deo per essentiam sancto. Unde sicut personalitas Verbi formaliter reddit animam Christi subsistentem, quatenus ex vi sue lineæ est subsistentia: ita eam reddit formaliter sanctam, quatenus ex vi sue lineæ conjugit eam Deo infinito, & per essentiam sancto; & quatenus ei communicat, mediate naturam divinam, quæ est ipsa sanctitas per essentiam; ut sequenti Affertione dicemus.

XII. Sed dices adhuc. Sicut persona Verbi conjugit mediate animam Christi cum divina natura, & sanctitate: ita eam conjugit cum omnipotentia, immensitate, æternitate &c. sed non proinde constituit eam formaliter omnipotentem, immensam, æternam &c. ergo neque constituit eam formaliter sanctam.

XIII. Respondeo, disparitatem esse. Quia omnipotentia, immensitas, æternitas in suo formali conceptu includunt, & sunt imprescindibiles ab inhærentia; & ideo non possunt communicari creaturæ finito modo, sicut potest communicari sanctitas increta. Addo: quod omnipotentia, immensitas, omniscentia pertinent ad principium Quo operandi: prædicata autem divina pertinentia ad genus operandi nequeunt anime Christi communicari: sicut nec sanctitas divina, quatenus est principium Quo operationum divinarum, communicatur anime Christi; sed solum quatenus est formalis sanctitas, reddens eam gratiam, signam amorem, & conjunctionem cum divina sanctitate.

XIV. Obicies secundo, & replicabis. Ad formalem sanctificationem requiritur, ut anima immutetur, & elevetur, & sit potens ad operationes supernaturales, quibus habet commercium cum Deo: sed hoc nequit illi præstari formaliter a persona Verbi quia hæc elevat quidem animam ad subsistentiam, sed non ad operandum ergo &c.

XV. Respondeo, dicit maj. Elevetur, & fiat potens &c. Si sermo sit de sanctitate accidentali, conc. maj. Si sermo sit de sanctitate personali, subdistinguo; ut fiat potens proxime, & formaliter, nego maj. Remote, & in iure, conc. maj. Sanctitas enim personalis solum potest esse radicem operationum supernaturalium, per modum principii Quod. Sic autem anima Christi per sanctitatem personalem sit potens: quia ex vi illius accipit filiationem naturalem Dei, cum iure ad gratiam habitualement, & alios habitus supernaturales, quibus potest Deum redamare.

XVI. Obicies tertio. Effectus formalis primarius aliquid forme, cum nil aliud sit, quam ipsa forma, ut communicata, nequit haberi formaliter sine tali forma: sed reddere formaliter sanctum, est effectus formalis primarius gratiæ habitualis; ergo &c.

XVII. Respondeo, major, veram esse de effectu formali physico, ultimo, & modo proprio illius forme: fassam autem de effectu, qui licet idem sit genere, specificè tamen est diversus. Facere ergo sanctum, est quidem idem effectus in genere; sed, ut præfatus a sanctitate substantiali, est specie diversus a sanctitate præfata a gratia habituali: hæc enim est sanctitas solum accidentalit, & imperfecte conjugens Deo; illa est substantialit, & conjugens Deo in eadem naturali persona. Et cere si hoc argumentum robur haberet; probaret, neque subsistentiam divinam posse supplere, & præfate effectum operantium subsistentiam creatæ, qui est reddere naturam subsistentem; cum tamen id faciat, sed eminentiori modo.

XVIII. Obicies quarto. Si Verbum admitteret naturam irrationalem, illam non sanctificaret; sed illi omnia præstaret, quæ præstat naturæ humanæ; ergo signum est, quod Verbum sit solo non sufficit ad sanctificandam, sed requiritur gratia, ut principium Quo.

XIX. Retorqueo argumentum. Si gratia habitualis ponere-

sur in lapide, vel in natura irrationali, ea prestat, que prestat natura rationali: & tamen neque lapidem, neque naturam irrationalem sanctificaret: ergo neque gratia sanctificat ad sanctificandum.

Respondet ergo, quod si Verbum assumeret naturam irrationalem, cum redderet quidem substantiam, sed sicut eam non faceret personam, ita neque faceret sanctam, quia essentialiter incapax est sanctitatis.

XX. Obijcies quinto. Forma formaliter sanctificans debet formaliter expellere peccatum: sed hoc non potest facere unio hypostatica; ergo Sec. Min. prob. Privatio forme non potest tolli, nisi per formam, qui privat; sicut tenebræ, que sunt privatio lucis, non possunt tolli, nisi per lucem: sed peccatum, quia tollit deordinationem, & redificat potentias per modum principii Quo: ita gratia substantialis, que per modum principii Quod redificat animam, & omnes ejus potentias, multo magis peccatum ejicit.

S. IV.

Superior Assertio.

XXI. Dico secundo. Anima Christi sanctificatur formaliter a natura divina, ut a forma: a Verbo autem, ut illi communicante formam sanctificantem, seu sanctitatem. Hanc eligo inter multas opiniones, que in Scholis versantur; quia videtur conformior dictis SS. PP. supra relatis, tribuentibus unione sanctitatis modo unioni cum natura, modo cum persona divina; & etiam rationi. Unde tam sic proba pro prima parte. Illa est forma animam Christi sanctificans, que in se est formalis, ac substantialis sanctitas; quia Deus in se sanctus est; sed forma, seu sanctitas, quia Deus in se sanctus est, est natura divina, non autem substantia relativa; alias in Deo non esset una sanctitas, sed tres sanctitates; ergo Sec. Maj. explicatur. Nam effectus formalis albi haberi nequit, nisi a forma, que albedo est; & effectus colorati, nisi ab ea forma, que color est; effectus substantiæ, nisi ab ea forma, que substantia est.

XXII. Constat. Per illud redditur humanitas Christi formaliter subsistens, quod in se formaliter subsistens est; non vero per id, quod solum identice, & realiter est subsistentia; ergo per id formaliter sancta est, quod in se est formaliter sanctitas, non vero per id, quod solum identice, & realiter sanctitas est. Sed natura divina formaliter sanctitas est: personalitas autem Verbi est sanctitas solum realiter, & identice; ergo &c. Rursus: Sicut humanitas formaliter subsistit per id, quod subsistit Verbum; ita debet esse formaliter sancta per id, quod formaliter sanctum est Verbum; & aequi Verbum non est formaliter sanctum per suam personalitatem, sed per naturam divinam; ergo nec humanitas erit formaliter sancta per personalitatem Verbi, sed per naturam divinam. Et ratio est. Quia sanctitas formalis debet esse de linea radice, non de linea termini: unde gratia habitualis, que est sanctitas participata, est participatio formalis divinitatis nature, & contra visio beatifica non est forma sanctificans, nec esse potest: sed substantia est de linea ultimi, sola autem natura divina est de linea principii, & radice; ergo &c.

XXIII. Secunda etiam pars prob. Quia natura divina non communicat animæ Christi immediate, & per se ipsam, sed media personalitate Verbi; ergo licet personalitas Verbi non sit formalis sanctitas, est tamen medium communicans in humanitate, eique applicans sanctitatem: eo se modo, quo inhumanitas est medium deferens albedinem in parietem.

S. V.

Objectiones contra præfatam Assertionem.

XXIV. Obijcies primo. Ut natura divina per modum forme sanctificet animam Christi, debet illi unigi, ut forma: sed natura divina non potest sic uniri, quia uniretur per modum forme constitutivæ, & informantis: ergo &c.

Si respondeas, min. veram fore, si uniretur in ratione nature, & per se ipsam; non autem si uniatu animæ Christi; media personalitate, ut de facto unitur;

XXV. Contra est. Ergo natura divina uniatu tantum mediata; ergo non sufficit, ut illam reddat formaliter sanctam; Consequentia hæc probatur. Unio mediata sapientie, omnipotentis; immensitatis non sufficit, ut ab illis constitutur sapientis, omnipotens, immensis; ergo si sapientia divina uniatu humanitati solum mediata, non sufficit, ut illam constituat formaliter sanctam.

XXVI. Respondetur, conc. prima consequ. negando secundam. Et disparitas ex dictis est. Quia humanitas, vel quicumque creatura essentialiter incapax est, ut denominetur sapientis sapientia increata; seu: & omnipotens, & immensis; nisi per formas, vel sibi identificatas, vel sibi inhærentes, aut informantes.

Sicut enim non potest Christi humanitas dici intelligens, aut volens intellectu, aut voluntate increata; quia ista deberent esse, vel identificata cum illa, vel illam informantia;

ita cum sapientia, & omnipotentia, vel non distinguuntur a divino intellectu, ut suo loco diximus; vel si distinguuntur, sine de genere operativo, quod nequit constituitur potentem operari; nisi, vel per identitatem cum illo, ut in tenentem operari; ut in creatura; immensitas autem; duo quod non sit de genere operativo, sic tamen de genere essentiali; quod pariter nequit communicari, nisi per identitatem cum illo, vel per informationem: ideo nulla creatura talibus denominari potest. At sanctitas, ut decenter nominet sanctum, neque exigit identitatem cum subiecto sanctificato; nec ejus physicam informationem, sed factis est, si mediate, aut immediate illud terminet, aut physice dignificet. Et ratio est. Quia esse sanctum, est esse obiectum, ac terminum divini amoris amicabilem; sicut esse cognitum, est esse terminum divini cognitionis. Quomodo ergo esse cognitum non requirit, ut cognitio identificetur, vel informet obiectum cognitum, sed ut terminetur ad illud: sic esse sanctum non petit, ut forma sanctificans identificetur, vel informet rem, quam sanctificant: sed tantum, quod ad illam vel immediate, vel mediate terminetur. Et enim ipse, quod divina natura mediate terminet humanitatem, itam hæc quod divinum obiectum congruum dilectionis.

Quod si dicas: esse sanctum, non esse præcise obiectum divini dilectionis amicabilem; sed esse vicissim potens proxime, vel radicaliter redamare Deum: hoc autem petit formam, a qua procedit, non pure terminantem, sed vel realiter identificatam, vel informantem.

XXVII. Respondet, dist. major. Esse vicissim potens, potentia, vel physica, vel moralis, conc. major. præcise physica; nego major. Hinc autem potentiam moralem ad redamandum Deum præstat natura divina, unita humanitati media subsistentia: quia eo ipso, quod humanitas est unita personaliter Verbo, & deificata; debentur ei omnia dona gratiæ, quibus fiat physice potens redamare Deum.

XXVIII. Obijcies secundo. Humanitas per id formaliter sanctificatur, cui unitur immediatus; ergo si unitur immediatus subsistentiæ Verbi, quam natura divina, sanctificatur formaliter per subsistentiam, non per naturam divinam.

Respondet, major. esse veram, si est, cui unitur immediatus, sit formalis sanctitas: secus vero, si sit purum medium communicans formam, que est sanctitas. Sic autem se habet personalitas: cui licet immediatus unitur anima Christi, quam divina natura: quia tamen non est formalis sanctitas, sed medium sanctitatem applicans, & communicans; ideo illam formaliter non sanctificat. Et sane si personalitas divina non sanctificat, neque est sanctitas respectu prædictorum divinorum; sed ipsa potius dicitur sancta per naturam divinam: quomodo potest sanctificare & esse formalis sanctitas respectu humanitatis?

XXIX. Dices. Personalitas Verbi deificat humanitatem: ergo illam facit formaliter sanctam: quia eatenus gratia habitualis sanctificat formaliter animam, quia illam deificat.

Uterius: Ideo Verbum non sanctificatur a propria personalitate; quia cum sit infinite sanctum per naturam divinam, non est capax ulterioris sanctitatis: ad humanitas Christi, cum non supponatur jam sanctificata, bene potest sanctificari sanctitate propria Verbi.

XXX. Sed contra primum est. Nam sanctificari non est utrumque deificari: nam etiam visio beata deificat beatum, & non sanctificat formaliter illum. Sanctificare igitur est deificare per modum nature: & principii radicalis, vel physici, vel moralis donorum spectantium ad ordinem supernaturalem. Sic gratia habitualis sanctificat, quia deificat per modum participationis nature divine; radicantis physice omnia dona ordinis divini. Et sic natura divina subsistentia inter communicata humanitati Christi illam sanctificat: quia illam deificat per modum nature, cui, ut radici saltem morali, debentur omnia dona ordinis supernaturalis. At divina subsistentia deificat quidem; sed quia solum deificat per modum termini nature, non per modum nature & radice; ideo per se ipsam non sanctificat.

XXXI. Contra secundum est. Quia est Verbum sit infinite perfectum, ratione divine essentis, nihilominus, si Verbum ex conceptu suo relativo dicat perfectionem, ut volunt multi, adhuc per ipsam perfectior; ergo a pari, est Verbum sit infinite sanctum sanctitate essentis; si tamen haberet sanctitatem in propria linea relativa, ab ista etiam sanctificaretur. Cum ergo non sanctificetur Verbum, nisi unice per sanctitatem essentis; signum est, quod in conceptu relativo non adest sanctitas propria hujus lineæ. Quod si non adest, quomodo poterit ex conceptu relativo sanctificare humanitatem Christi?

DUBIUM IV.

An Gratia Habitualis fuerit Christo Necessaria ad Merendum: Et Quomodo?

S. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. Dico conditiones præcipue requiruntur, ut aliquis operatio sit meritoria coram Deo. Prima, ad secundum se sit condigna, id est, quod tantum valeat, quantum valet premium, & sit in eodem ordine cum illo. Quare si Deus promitteret vitam æternam homini in puris naturalibus con-

condituro, si si bene operaretur intra puros limites nature, illa operatio non esset meritoria vite æternæ, quæ gratis, & sine merito illi daretur, & proinde non ex iustitia, sed ex fidelitate: quia Deus est sibi ipse debitor, ut impleatur, quod promissit. Secunda, quod operans referat filium virtualiter, suam operationem, & ordinat ad præmiandum, & ad præmiandum. Licet enim quis magnam operum faciat, tali opere nihil merebitur, nisi illud, filium virtualiter, facit propter bonum præmiandum; vel nisi velit, prospere tale opus sibi præmiandum rependi. His suppositis.

II. Dico primo. Fieri non potuit, ut opera Christi essent meritoria; nisi in eo fuisset gratia supernaturalis, vel habitualis, vel facta actualis, que esset principium formale, seu Quod saltem operum: unde ad merendum in Christo fuit gratia unionis factis non erat. Ita S. Thom. tom. 3. part. 2. q. 7. art. 1. ad 1. q. 2. ubi expresse docet, in Christo, propter distinctionem naturarum, præter gratiam unionis, fuisse necessarium gratiam habituatam, per quam operatio humana in eo esset perfecta, id est, ordinis supernaturalis & divini. Et apertius, qu. 12. de Veris, art. 5. ad 4. ubi ait: quod: Quomodo meritorium Christi quamdam infinitatem varietatem habeat ex dignitate personæ; tamen rationem meriti habeat ex gratia habituali, sicut quo meritorium est, non potest.

III. Probatur autem sic. Ut opus sit meritorium de condigno, debet esse proportionatum præmio: unde si præmium sit supernaturale, debet meritum esse ordinis supernaturalis; ut diximus in Tract. de Merito, cum S. Thom. 1. 2. q. 114. art. 2. sed si in humanitate Christi nulla esset gratia creata, neque habitualis, neque actualis, nulla esset operatio in illa, que foret proportionata cum sine, vel præmio supernaturali; ergo Sec. Min. prob. Postea sola gratia unionis, habetur quidem principium Quod supernaturale, sed non habetur principium Quod proximum, & formale operationis supernaturalis: sed ad operationes supernaturales non factis est, quod suppositum, seu principium Quod sit supernaturale; ergo &c. Major: quia sola gratia unionis communicat quidem humanitati esse personale Verbi, illi tamen non dat ordinem alium ad operandum supernaturaliter. Min. vero prob. Species est essentialis cuiuscumque actionis non sumitur a supposito operante, sed a principio proximo formali efficiente: ver. gr. species calefactionis sumitur ex calore, qui est principium proximum formale calefescendi, quodcumque sit suppositum calefactionis; ergo &c. consequenter posito in humanitate Christi supposito divino, nisi ulterius ponatur in illa principia formalia & proxima operum supernaturalium; nunquam faciet operationes supernaturales, sed naturales tantum.

IV. Confirmatur primo. Suppositum non operatur, nisi iuxta facultatem nature, cuius est suppositum: Verbum divinum, quatenus suppositum hominis, non operatur, nisi iuxta potentiam humanitatis; ergo si humanitas non esset elevata per gratiam habituatam, vel actualem, omne opus, quod Verbum, ut suppositum humanitatis exerceat, esset quoad substantiam ordinis naturalis.

V. Confirm. secundo. Deus in retribuendo præmio non respicit solum ad personam merentem, ac offerentem, sed etiam ad opus, quod offeritur, iuxta illud, Gen. 4. ver. 4. Respicit Dominus ad Abel (id est, ad dignitatem personæ) & ad munera ejus (id est, ad qualitatem muneris) ergo, ut opera Christi meritoria sint præmiis supernaturalibus, non factis est dignitas ipsius personæ operantis; sed requiritur, ut & ejus opera sint præmio proportionata, & digna, ut accipiatur a Deo pro tali præmio: hoc autem non esset in operibus Christi, factis omni dono gratiæ, five habitualis, five actualis; ergo &c.

VI. Neque dicas: operationes illas fore supernaturales moraliter, id est, moraliter dignificatas a persona Verbi, que illas facit. Nam esse hoc: sed non sufficit. Tum quia: præmium non solum est supernaturale moraliter, sed etiam entitative; meritum autem debet entitative esse in eodem ordine cum præmio. Tum quia: meritum debet dicere ordinem ad præmiandum, & fieri in obsequium illius; & meritum præmiis supernaturalibus, debet dicere ordinem ad Deum remuneratorem supernaturalem. Cumque in casu, quo anima Christi esset sola gratia unionis ornata, & omni dono supernaturali creato destituta; actiones ab eis elicite, utpote entitative naturales, non possent ordinem dicere ad Deum remuneratorem supernaturalem: ideo erit forent valoris infiniti & supernaturalis moraliter, non possent esse meritoria præmiis supernaturalibus.

S. II.

Objectiones contra præfatam Assertionem.

VII. Obijcies primo. Christus, etiam ut homo, sine gratia habituali, esset simpliciter Deo gratus gratia infinitate Verbi est personaliter communicata; ergo ejus operationes essent simpliciter Deo gratæ. Imo cum sanctitas personæ sit simpliciter major in ratione sanctitatis, quam gratia habitualis creata: si hæc est sufficiens ad meritum, cur non illa?

VIII. Respondet, in casu operationis illis Christi fore simpliciter gratas; gratitudine personaliter operantis; quia operans, utpote divina persona, esse infinite gratus; non tamen fore gratas gratitudine formali operis; quia talia opera non possent proportionari, & dicere ordinem ad Deum, ut auctorem supernaturalem, quod necesse requireretur, ut essent meritoria. — Etiam autem sanctitas personæ excedat sanctitatem per gratiam: non sequitur tamen, quod possit dare operibus rationem meriti, sicut illa: quia, ex dictis non potest

ei elevare, dando eis ordinem ad Deum præmiandum, cum relinquat ea in ordine naturali entitative.

IX. Obijcies secundo. Opera hominis iusti moraliter bona, quamvis nec actu, nec virtute referantur in finem supernaturalem, sunt simpliciter meritoria vite æternæ, secundum alios quos, eo præcise, quia procedunt ab homine grato, & Deo accepto: cur ergo operationes Christi non erunt Deo gratæ, & meritoria ex eo præcise, quod procedunt a supposito infinite grato?

Rursus: si illæ operationes a Deo productæ, essent infiniti valoris coram Deo, quia procedunt a personis infinite gratis, sicut modo sunt: cur non essent meritorie cuiuscumque præmiis? Operatio enim habens infinitum valorem, non erit ex se digna cuiuscumque infiniti præmiis?

Tercio. Opera Christi de facta fuerunt infiniti meriti: sed non quatenus erant a gratia habituali, que est finita; ergo quatenus erant a persona infinita.

Quarto. Ad meritum requiruntur tria. Ut sit subiecti Deo grati; ut sit ordinatum ad finem supernaturalem; & ut habeat aliquid supernaturalitatis: ac humanitas Christi, seculo omni dono supernaturali creato hæc tria haberet: si enim opera procedentia a supposito grato, gratitudine participata, habent veram supernaturalitatem, & ordinem ad finem supernaturalem; quare, ut procedentia a supposito infinite grato, hoc non habebunt?

X. Respondet ad singula. Ad primum, nego. ant. Nam, ut supra diximus exemplo Abelis, Deus respicit nedium ad personam, sed ad opus: ac scilicet sit factum in obsequium ejus, & ad ipsum ordinatum; sicut in humanis Princeps non acceptat ad meritum quodcumque opus subditi, alioquin gratiæ; sed illud solum, quod sit in obsequium ejus, & propter præmium.

Deinde, dato ant. nego. conf. Quia homo iustus, cum sit in gratia, est habitualiter reclusus in finem supernaturalem: ex qua habituali reclusionem, secundum illos, opera ipsa dicuntur sufficienter relata in præfatum finem, ut sint meritoria. Ac humanitas Christi, seculo omni dono gratiæ creato, non esse ordinata ad operandum ad finem supernaturalem: atque ideo opera ejus quantum ad substantiam essent simpliciter ordinis naturalis, & non meritoria præmiis supernaturalibus.

XI. Ad secundum de rationem. Quia operatio, licet infiniti valoris, non potest esse digna, ut meritoria cuiuscumque præmiis supernaturalibus; nisi fiat cum ordine ad illud, & in obsequium præmiandis. Semoto autem ab humanitate omni dono gratiæ creato, non possent ordinare actiones suas ad finem supernaturalem, cum illi desset omne donum elevans: & gratia enim unionis humanitatem, & ejus potentias elevare non potest ad operandum in ordine supernaturali. Quomodo ergo possit Christi humanitas suas operationes in Deum auctorem supernaturalem (quem nec, ut talem, cognosceret) ordinare, ac sic mereri?

XII. Si dicas: non oportere ad rationem meriti, quod actio referatur in finem, & obsequium præmiandis. Qui enim bene inservit Republicæ meretur præmium; licet hoc non fiat in obsequium Republicæ, vel Ducis; a quo præmiandus est. Ratio autem videtur esse. Quia sicut actus ex sua natura; ex quo bonus, laudabilis est: ita actus ex sua natura præmiabilis est, ex quo bonus est.

Respondet tamen, neg. ant. quando præmiandis est simul etiam ultimus finis operis. Ex quo patet disparitas in exemplo allato. Republica enim, & Dux præmiandis non est ultimus finis operis facti in servitium Republicæ, cuius potius est minister: & ideo opus debet quidem ordinari in Rempublicam, sed non ad præmiandum. At Deus est præmiandus, & ultimus finis operis: unde, ut sit meritorium, debet in obsequium ejus fieri; & ad ipsum referri. — Neque est idem, opus esse laudabile, ac esse præmiabile. Nam opus, ex quo in se bonum est, est dignum laude, & laudabile: At, ut sit præmiabile, & dignum præmio: cum hoc inducat debitum iustitiæ in præmiandis; debet esse factum in gratiam, & obsequium ejus, ut ipse vicissim teneatur illud præmiare. Obligatio enim dandi præmium pro merito, oritur ex aliquo opere præfesto; quod quidem, ut hunc potius obliget, quam alterum, debet in illius gratiam, & commodum fieri.

XIII. Ad tertium dico, opera Christi a persona Verbi habuisse quidem infinitatem; sed rationem meriti habuisse a principio, quo ordinabatur in Deum præmiandem: quod vidimus, haberi non posse sine aliqua gratia creata.

XIV. Ad quartum, nego. min. loquendo de dignitate, nedium morali, & operantis, sed etiam physica, & operis, seu proportionis ad præmium: hæc enim unice haberi potest a principio Quod supernaturali, quod est Gratia. Sicut enim actiones, etiam necessitate Christi, ut nutritionis, & augmentationis, licet essent a persona infinite digna; tamen talis dignitas ex defectu libertatis non sufficiens ad meritum: & actiones easdem mere naturales, ut ambulare, dormire, & manducare ex sua ratione meritoria non erant, nisi a charitate in Deum, ejusque gloriam supernaturalem ordinate fuissent; & tamen iste etiam erant a persona infinite digna: ita operationes omnes factæ ab humanitate foelita omni gratia creata, & sola gratia personali prædita, essent quidem a persona infinite digna; sed quia non essent factæ cum ordine, & in obsequium Dei supernaturalis præmiandis, non essent meritoria præmiis supernaturalibus. Imo ille valor a persona divina profusus non afficeret modo libero actiones illas Christi, neque ut talis valoris, libere eliceretur: cum sine gratia intransfusa non possent cognoscere anima Christi dignitatem suæ personæ, nec finem, ad quam deberet eis ordinare.

XV. Obijcies tertio. Implicat, Christum Filium Dei natura- lem offerre Patri aliquid opus, & illud non esse acceptum Patri. Si enim jejuniu hominis iusti, relaxat ad gloriam Dei, est meritum vite eterne; multo magis jejuniu Christi, qui est Filius Dei naturalis, & quod in casu esset elevatum ad ordinem hypostatium.

XVI. Respondeo, ant. esse verum de acceptione personali, non vero de acceptione operis. In casu enim esset accepta Patri persona operans; non autem opus esset acceptum Patri ad vitam eternam; quia non esset ordinatum ad illam. Dici tamen possit, ad summum esse acceptum radicaliter; quia esset a gratia unionis, cui debetur gratia, quae est principium formale merendi. Neque est simile de hominis iusti jejuniu: hoc enim cum procedat a gratia habituali, habet unde participat habitudinem, & ordinem ad vitam eternam; non autem in anima Christi in casu; quae nec cognoscere possit Deum auctorem supernaturalium, nec proinde ad eum, ut talem, actus suos ordinare.

XVII. Obijcies quarto contra id, quod diximus, quod ut actus Christi sit meritorius, sufficiat gratia actualis, seu auxiliu transiens, sic. Bilo ab homine peccatore elici possunt, medio auxiliu gratiae moventis, aliqui actus supernaturales fidei, spei, attritionis; quia tamen in illo non est gratia habitualis, tales actus non sunt, nec possunt esse meritori vite eterne, quia gratia habitualis est principiu totius meriti; ergo licet in Christo esset auxiliu gratiae, si tamen desisset illi gratia habitualis, actio eius non esset meritoria esse supernaturalis; sed non meritoria.

XVIII. Respondeo, disparem esse rationem de Christo, & nobis. In nobis enim, ultra auxiliu gratiae actualis, requiritur habitualis ad meritum, quia meritum debet esse a persona gratia Deo. Unde Deus, Genes. 4. prius respexit ad Abel, id est, ad personam Abelis sibi gratam, deinde ad munera eius; nos autem non habemus unde sumus grati Deo, nisi ex gratia habituali nos justificante. At in Christo, etiam non esset gratia habitualis, foret tamen gratia unionis reddens ipsum Deo gratissimum, quia Filium eius naturalem, in quo sibi semper complaceat. Unde ad eius meritum nil aliud desset, nisi ut eius actiones ad finem supernaturalem elevarentur, quod sufficienter haberet per gratiam actualem.

XIX. Dices. Omnis inclinatio ad bonum alicuius naturae supponere debet radicem in illa natura; ergo inclinatio in bonum naturae divinae, debet supponere naturam divinam participatam, in qua radicetur; ac desecta gratia habituali non datur in anima Christi natura divina, in qua radicetur; ergo &c.

XX. Respondeo, conc. ant. dist. confeg. Naturam divinam, vel accidentaliter participatam, vel substantialiter communicatam, conc. conf. Prae se accidentaliter participatam, nego. Cum ergo anima Christi, etiam si in ea non esset gratia habitualis, esset tamen gratia unionis, imo ipsa natura divina in unitate hypostasi communicata; esset sancta, bona bonitate divina, & radicans, sicut remote, & moraliter gratiam ipsam habitualem, & cetera dona divina; & ideo in ea esset sufficiens radix, ut media gratia actuali inclinante in bonum divinum fundaretur inter Christum, & Deum amicitia subsistenti, quam inter Iustum, & Deum; quia Christus amaretur a Deo, & Deum amaretur et Filius naturalis eius, iustis autem per gratiam solum, ut filius adoptivus.

S. III.

Alia Afferiones.

XXI. Dico secundo. Gratia habitualis erat necessaria in Christo, ut elicere conaturaliter actus ordinis supernaturalis. Probat sic. Ut anima Christi conaturaliter elicere operationes supernaturales debet habere in se principium, seu formam, ratione cuius conaturaliter inclinatur ad tales actus; sicut, ut aliquis operetur conaturaliter operationes sensitivas, debet habere in se formam, qua conaturaliter inclinatur in operationes supernaturales, est gratia habitualis, non minus, ac anima sensitiva sit forma, qua conaturaliter inclinatur animal ad operationes sensitivas: cum gratia sit anima in tali ordine, ac principium radicale operandi in illo; ergo &c.

XXII. Nec dicas, hoc valere quidem in puris hominibus, vel Angelis, non autem in Christo, cuius anima erat elevata ad ordinem hypostatium, per gratiam unionis continentem eminenter ordinem gratiae.

Nam, ut docet S. Thom. qu. 29. de Veris. art. 1. per gratiam unionis elevatur quidem anima Christi ad esse personale divinum, non vero ad operationem divinam; cum alia sit conjunctio cum Deo secundum personam, alia secundum operationem: & ad haec, saltem conaturaliter, requirebatur gratia.

XXIII. Dico tertio. Gratia habitualis fuit etiam necessaria Christo, ad consolatum, & consummatum ejus sanctitatem. Prob. Ut anima Christi sit formaliter sancta sanctitate consummata, debebantur ei omnes perfectiones sibi conaturaliter convenientes ex vi sanctitatis substantialis; atque ex vi hujus conaturaliter debebantur ei perfectiones accidentales: si enim ex vi talis unionis debebantur gratia actualis; si enim conaturaliter, omnes virtutes infusae, quae radicantur in gratia habituali; multo magis ipsa gratia habitualis ei debebatur.

XXIV. Si opponas: quod scilicet Deus, quia est sanctus sanctitate substantiali, & continet eminenter omnem sanctitatem creatam, non eget alia sanctitate, ut sit perfecte, &

consummate sanctus; ita anima Christi, cum sit illa eadem Dei sanctitate sancta, ulterius non eget gratia, ut sit consummate sancta.

Respondeo, disparitatem esse inter Deum, & animam Christi, quoad hoc: Deus possidet sanctitatem increatam adaequate, imo est ipsa sanctitas per essentiam; & ideo nihil illi desit ad consummatam sanctitatem. At anima Christi est quidem sancta illa eadem sanctitate, sed eam non plene possidet; sed ei communicatur solum quantum ad esse personale non quantum ad esse operativum.

XXV. Dico quarto. In anima Christi fuit etiam necessaria gratia habitualis, ut principium conaturaliter merendi. Prob. primo ex S. Thom. 3. pars. qu. 7. art. 1. qu. 29. de Veris. art. 5. ad 4. ubi ait: Quod licet meritum Christi quoadmodum infirmitatis rationem habeat ex dignitate personae: tamen rationem meriti habeat ex gratia habituali, sine qua meritum esse non potest. Quae indicant saltem conaturaliter, non potuisse in Christo dari meritum sine gratia habituali. — Probat autem secundo, sic. Si enim, quia ex dictis gratia habitualis est vita anima, & radix operationum supernaturalium, fuit necessaria, ut Christus conaturaliter elicere operationes supernaturales: cum meritum sit operatio vitali modo exercita intra ordinem supernaturalem, sequitur quod ad mercedem conaturaliter necessaria sit gratia habitualis: esto in Christo non fuerit necessaria essentialiter, cum ex dictis potuisset mereri cum sola gratia actuali.

Q U A E S T I O II.

De virtutibus Anima Christi.

Gratiam habitualement consequuntur virtutes, & dona supernaturalia. Cum ergo in Christo, ex dictis, sit gratia habitualis, de virtutibus, & donis sermo consequitur; & quidem praecipue de virtutibus per se infusis; deinde etiam de aequalibilibus investigabimus.

D U B I U M I.

An in Christo fuerint virtutes per se infusae

S. I.

Resolutio Dubii.

Virtutes morales, de quibus in praesenti agimus, sicut supra diximus de intellectualibus, aliae sunt per se infusae; quia propriis actibus acquiri nequeunt; & ideo ex natura sua petunt haberi per infusionem, ut alia via haberi nequeant. Aliae sunt infusae per accidens, quatenus licet ex natura sua petant a subiecto acquiri per proprios actus; a Deo tamen speciali ex causa ei infunduntur; ut Adamo contingit, cui omnes scientiae, quas propriis actibus acquirere potuisset, fuerunt ei ab initio suae conditionis statim infusae. De primis ergo in praesenti dubio loquimur, etiam de secundis aliqua dicemus.

II. Dico ergo. In Christo fuerunt omnes virtutes morales per se infusae, quae aliunde unioni hypostatice non repugnabant. Ita S. Thom. haec qu. 7. art. 2. cuius ratio sic probatur. Virtutes per se infusae sequuntur ad gratiam habitualement, sicut potentiae naturales sequuntur ad animam; quia virtutes per se infusae, quae sunt supernaturales, dant totum, & simpliciter passum ad actus supernaturales: unde funt quoadmodum potentiae operativae in tali ordine, in quo gratia habitualis est quasi anima, radix, & prima vita; sed in anima Christi fuit gratia habitualis, ut dictum est supra, imo plenitudo gratiae, ut dicitur; ergo in Christo fuerunt virtutes per se infusae, imo fuit plenitudo virtutum cum unioni hypostatice non repugnantium, ut infra.

III. Confirmatur. Oportet, ut nedum anima Christi esset elevata, & perfecta in ordine supernaturali, sed etiam ejus potentiae operativae; sed fuit anima in ordine illo perfecta, & elevatur per gratiam habitualement, ita potentiae animae perfectiuntur, & radicantur in eodem ordine per virtutes supernaturales per se infusae; ergo &c.

S. II.

Contraria Solvuntur.

IV. Obijcies primo. Non recte dicitur, virtutes per se infusae esse proprietates per se connexas cum gratia habituali. Nam fides, & spes sunt virtutes per se infusae; & tamen non sunt proprietates gratiae, nec cum illa connexae; unde in Christo non fuerunt; & e contra inveniuntur etiam in peccatore non habente gratiam. — Rursus: penitentia est virtus per se infusa; & tamen non est proprietates gratiae, nec convenit omni habenti gratiam; unde in Christo fuit gratia, nec tamen fuit virtus penitentiae.

V. Respondeo, neg. ant. Ad prob. dico, omnes virtutes per se infusae naturaliter emanare a gratia habituali; & hanc esse principium ex natura sua illas inferens, relative tamen ad conditionem, & capacitatem subiecti. Unde, sicut licet ad gratiam naturaliter sequatur filio adoptiva, in Christo tamen non sequitur; quia Christus, cum sit Filius naturalis, incapax est: ita licet fides, spes, & penitentia infusae sequantur ad gratiam, non est necesse, ut ponantur in Christo;

hoi quia, ut dicimus, vides est de non visis, Christus autem per scientiam beatam videbat Deum. Spes est de non habitis Christus autem Deo jam habito fruebatur. Penitentia vero est detestativa proprii peccati; Christus vero erat incapax peccandi. — Fides parva & spes, quae in peccatore fidei manent, sunt infirmas; nec habent statum virtutis: ideo, ut tales, non sunt proprietates gratiae, & stare possunt in peccatore, in quo non est gratia.

VI. Obijcies secundo. Virtutes morales ponuntur ad rectificandum appetitum in suis operationibus: sed operationes Christi, ex vi unionis hypostatice, erant rectificate, ut non passent a rectitudine declinare; ergo &c.

VII. Respondeo, a gratia unionis fuisse quidem operationes Christi rectificatas: sed vel radicaliter tantum, non formaliter; vel negative tantum, in quantum impeditur, ne inclinarent in actum non rectum: non tamen positive; quia non ponebant in illis principium formale, quo supernaturaliter rectificarentur, quales sunt habitus virtutum per se infusarum. — Et licet Verbum, quod unitur (ut praecelatur applica), continet eminenter omnem rectitudinem praehabibilem a virtutibus infusis; quia tamen unitur animae Christi, eam, quidem elevans ad esse personale, non ad esse operativum; ideo non praestat potentis ejus formalem rectitudinem, sed eam relinquit praestandam a virtutibus; & eadem ratione quamvis in Christo fuerit plenitudo gratiae habitualis, adhuc tamen necessaria ei fuerunt virtutes. Quia, ut docet S. Th. 3. pars. qu. 7. art. 2. ad 1. Gratia sufficit homini quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinem. Formam tamen quaedam perfecte gratia immediate per se ipsam, sine gratiam facere Deo, & alia hujusmodi: quodam autem mediavitibus virtutibus, quae ex gratia procedunt.

VIII. Obijcies tertio. Virtutes omnes simul habentur, sunt enim connexae, ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 65. art. 1. & 2. sed multae in Christo non fuerunt, nec convenientes fuit; ut eas haberet; ergo &c. Min prob. In Christo, qui vixit pauperimus, inultis, & estiosa fuisse magnificentiam, quae versatur circa magnos sumptus; sicut & liberalitas, quae versatur circa medicos, ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 129. art. 2. Actus etiam philothymiae, quae versatur circa medicos honores, ut docet idem S. Thom. citatus, Christo non congruebat; cuius actiones, utpote infinite dignitatis non poterant esse circa medicos honores, sed solum circa magnos.

Actus quoque continentiae, ex S. Thom. 2. 2. qu. 155. art. 1. est resistere concupiscentiis pravis, quae in subiecto vehementes existunt: in Christo autem pravae concupiscentiae esse non poterant, quia ex dictis in eo non fuit fomus peccati. Actus quoque verecundiae, qui est de actu turpi praesenti; in Christo, in quo nullus potuit esse actus turpis, locum non habuit. Demum nec actus Eutrapeliae, qui versatur circa ludos, & jocos moderatae exercebent: Christus enim nunquam ludis, aut jocis vacavit, quin potius levissime legem legitur, sed nullus non legitur. Superflua autem virtus ponitur in subiecto, in quo actum suum nunquam est habitura.

IX. Respondeo generaliter, quod licet actus externus virtutis in aliquo subiecto non exerceatur; dummodo sit ei possibilis, dari potest in eo actus internus sufficientis ad hoc, ut virtus in eo non sit otiosa, vel superflua. Hinc ad primum, dico cum S. Thom. haec qu. 7. art. 2. ad 3. Quod liberalitas, & magnificentia commendatur circa divites, in quantum alibi non tantum appreciatur divitias, quod vult eis resistere, praetermittendo id, quod fieri oportet. Illis autem minime divitias appreciatur, qui praesens eis contentum, & obijcit propter perfectionem amorem. Et ideo in hoc ipso, quod Christus omnes divitias contempsit, ostendit in se summum gradum liberalitatis, & magnificentiae. Licet (adit S. Doctor) etiam actum liberalitatis exercuerit, seu videtur quod sibi conveniens erat faciendum pauperibus erogare, quod sibi dabatur. Unde cum Dominus Iudas dixit, Iudas. 13. Quod facis, fac citius; Discipuli intellexerunt, Dominum mandasse, quod egent aliquid dare.

Actus etiam Philothymiae fuit in Christo. Actio enim digna summo honore potest versari etiam circa parvos honores, re- & se, ac prudenter in illo gerendo. Sicut Christus audiens clamantes: Hosianna filio David &c. Math. 21. ver. 9. in tali turbarum plausu, qui estimari poterat medicorum honoratio, se gessit actu perfectissimo, & summo honore digno. Deus enim (ait Bernardus) non perisse quantum, sed ex quanto operemur. Unde si in parvis ex magna opereum charitate, multum possumus mereri. Ita Christus, licet in medicorum ex parte obiecti, summa tamen perfectione se gessit, & ac proinde summo dignus erat honore.

Contentiam vero Christus non habuit, ait S. Thom. citatus ad 3. Nec propter hoc summo excelsitatis, quin habuerit temperantiam; quia tanto perfectior est in homine, quanto magis pravis concupiscentiis caret. Unde secundum Philosophum, 7. Ethic. (cap. 9.) temperans in hoc differt a continentem, quod temperans non habet pravas concupiscentias, quas continentem patitur. Unde sic accipiendo continentiam, sicut Philosophus accipit, ex hoc ipso, quod Christus habuit omnes virtutes, non habuit continentiam, quae non est virtus, sed aliquid minus virtutis. Advertit tamen idem S. Thom. 2. 2. qu. 155. art. 1. nomen continentiae dupliciter sumi. Primo: pro ea, quae aliquid ab omni delectatione veterata abstinere; & sic principaliter convenit virginitati, secundario autem viduitati. Et hoc modo continentia fuit in Christo, sicut etiam temperantia; quia temperantia non habet pravas concupiscentias, quas refrinet. Secundo: sumitur continentia, secundum quod importat resist-

Conti Theol. Tom. III.

sentiam rationis ad concupiscentias pravas, quae sunt in homine vehementes; & ut sic non fuit in Christo, nec est in rigore virtus, ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 58. art. 3. ad 2. ubi vidimus.

Item dico de verecundia, nempe, eam non pertingere ad veram rationem virtutis: quare est non ponitur in Christo, non infirmata nostra Afferio. Ratio autem, quare verecundia non fit virtus est. Primo: quia non est consecutio boni honesti, ut ad virtutem requiritur; sed potius fuga mali, seu confusio ob turpitudinem mali. Secundo: quia, ut docet S. Thom. 3. pars. qu. 89. art. 1. ad 2. licet tunc penitentia, quam verecundia fit de malis de quo dolet penitentia, & confunditur, seu erubescit verecundia; tamen penitentia est de peccato malo, quod nititur satisfaciendo delere: unde supponere potest subiectum de praesenti perfectum, prout requiritur ad virtutem, quae est dispositio perfecti ad optimum. At verecundia (ait S. Thom.) respicit turpe factum ut praesens, pro quo timet confundi. Est autem contra rationem virtutis, quod aliquis habeat turpe factum, de quo oportet illum verecundari. Licet autem virtuosus verecundiam pati possit, si ei turpe factum, quod non commisit, obijciatur; hae proprie verecundia non est: quia verecundia respicit turpe factum, a se revera commissum, aut de facili obque virtute cohibente committendum. Hae in eruditionem mei Candidati sunt dicta.

Quoad Eutrapeliam: puto, quod actus externus talis virtutis in Christo non fuerit; potuit tamen in eo esse, nec deducit, ut esset, praesentem in puritate: atque ideo virtus Eutrapeliae potuit in eo habere suam honestatem.

D U B I U M II.

An in Christo fuerint Virtus Fidei, Spei, & Penitentiae?

S. I.

Resolutio de Fide Theologica.

Dico. In Christo non fuit virtus Fidei. Est contra Durandum hae Afferio: qui cum velit, habitum fidei manere in Beatis, idem dicendus est afferere in Christo, cum eadem sit ratio. Eam tamen docet S. Thom. 3. pars. qu. 7. art. 3. cuius est ratio. Fides, nec quoad actum, nec quoad habitum comparari potest in subiecto, in quo est clara Dei visio: sed Christus, ut dictum est, a primo fuit conceptionis instanti habuit claram Dei visionem; ergo &c. Maj. prob. Fides Theologica, & clara Dei visio essentialiter supponunt ex parte subiecti dispositiones oppositas. Nam fides requirit, ut credens non videat, quia, teste Apostolo, Hebr. 11. ver. 1. Est sperandum substantia rerum argumentum non apperitum. Clara autem visio petit, ut videns clara intueatur divinita, quae videt: repugnat autem idem subiectum eadem non videre, & videre.

II. Confirmatur. Actus, seu habitus, quorum unum exigit subiectum esse in statu imperfecto, alter vero existit, illud esse in statu perfecto, non possunt esse simul in eodem subiecto: sed fides, sive quoad actum, sive quoad habitum, existit: ut subiectum, in quo est, sit in statu imperfecto circa obiectum: id est, ut illud non videat, nec sit convinctum ab evidenti ejusdem, sed quod ex parte affectione erga auctoritatem dicentis libere moveatur ad assensum: visio autem clara petit, ut subiectum, in quo est, sit in statu perfecto circa obiectum, quod videt: ita ut sit convinctus ab evidenti ejusdem, & necessario ipsum attingat; ergo &c. Mij. explicatur. Actum enim esse imperfectum ex parte subiecti dupliciter contingit. Uno modo, quod subiectum reddatur imperfectum ex ipso actu: sicut actus scientiae infusae reddit cognoscentem imperfectum, id est, non facit ipsum esse cognoscentem, sicut cum facit scientia beata; & sic duo actus non se invicem excludunt: a subiecto: unde in Christo possumus simul cum scientia beata scientiam infusam. Alio modo, ut actus essentialiter praerogit subiectum, in quo est; est in statu imperfecto circa obiectum, id est, nondum positum in perfecta acquisitione, & possessione obiecti. Et hujusmodi est actus fidei: qui cum praerogit, intellectum nondum perfecte tenere obiectum; non potest comparari cum actu visionis clare, qui praerogit in intellectu, tanquam dispositionem essentialem, ut non sit in statu imperfecto, & in via ad acquisitionem, sed in perfecta tentione, & possessione obiecti.

III. Sed dices primo. Christus non potuit videre omnia possibilis in Verbo, alias Deum comprehendisset; ergo aliqua possibilis, ipsum latentia, poterant ei obtinere revelari, ergo poterant cum visione beata conjungere actum fidei circa illa, ob testimonium Dei revelantis.

IV. Respondeo primo, neg. confeg. Nam si Deus vellet, aliquid possibile latens Christo manifestare; posset hoc facere vel confortando ejus lumen glorie, ut in essentia divina illud penetraret: vel si vellet illud manifestare extra Verbum, posset ei speciem infundere talis possibilis.

Dato autem, quod Deus vellet Christo illud possibile revelatione obtinere revelari; respondeo secundo quod actus, quod Christus illud crederet, non esse actus fidei theologice, sed alterius rationis: quia fides theologica habet Deum pro primo credito, ratione cuius omnia alia credit. Cum ergo in casu non posset Christus credere Deum, quia illum videret; nec posset credere theologica fide alia credibilia creata.